Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

Job · 5

armata et bibent sitientes
divitias eius. Nichil fit in
terra sine causa et de humo non
egredietur dolor. Homo ad la-
borem nascitur et avis ad vo-
latum. Quam ob rem ego depre-
cabor dominum. Qui facit magna
et inscrutabilia et mirabilia
absque numero. Qui dat pluviam
super faciem terre et irrigat
aquis universa. Qui ponit
humiles in sublime, merentes
erigit sospitate. Qui dissi-
pat cogitationes malignorum
ne possint implere manus eorum
quod ceperant. Qui apprehendit
sapientes in astutia eorum et
consilium pravorum dissipat. Per
diem incurrent tenebras et
quasi in nocte sic palpabunt
in meridie. Porro salvum fa-
ciet egenum a gladio oris eorum
et de manu violenti pauperem.
Et erit egeno spes, iniquitas
autem contrahet os suum. Beatus
homo qui corripitur a deo. Increpa-
tionem ergo domini ne reprobes, quia
ipse vulnerat et medetur,
percutit et manus eius sana-
bunt. In sex tribulationibus
liberabit te et in septima non
tanget te malum. In fame
eruet te de morte et in bel-
lo de manu gladii. A flagel-
lo lingue absconderis et non
timebis calamitatem cum super-
venerit. In vastitate et fame
ridebis et bestias terre non for-
midabis. Sed cum lapidibus
regionum pactum tuum et bestie
terre pacifice erunt tibi. Et
scies quod pacem habeat
tabernaculum tuum et visitans
speciem tuam non peccabis. Scies
quoque quoniam et multiplex erit
semen tuum et progenies tua
ut herba terre. Ingredieris in
habundantia sepulchrum sicut
infertur acervus tritici in tempore
suo. Ecce hoc ut investiga-
vimus ita est quod auditum mente
pertracta.

· VI ·

Respondens autem Job
dixit. Utinam appen-
derentur peccata mea
quibus iram merui, et calami-
tas quam patior in statera.
Quasi arena maris hec gravior
appareret, unde et verba mea do-
lore sunt plena, quia sagitte
domini in me sunt quarum indig-
natio ebibit spiritum meum et ter-
rores domini militant contra me. Numquid
rugiet onager cum habuerit her-
bam aut mugiet bos cum
ante presepe plenum steterit. Aut
poterit comedi insulsum quod non
est sale conditum, aut potest
aliquis gustare quod gustatum
affert mortem. Que ... enim

Marginalia (left margin): abdo meum / [illegible] meum; formides